

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema LXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

v. 39. Idem vult Pſal. 1. v. 2. Hoc etiam quotidiana requirit neceſſitas, ne ſuccumbamus.

FINIS.

THEMA LXX.

Pſal. 119. verſ. vltimus.

Erraui ſicut ouis, quæ periit, quære Domine ſeruum tuum. Quia mandatorum tuorum non obliuiſcor.

DISPOSITIO.

Dauid in iuuentute fuit opilio, 1. Sam. 16. & 17. Quod & Dominus illi in memoriam reuocat, 2. Sam. 7. v. 8. & ipſe fateatur, Pſal. 78. v. 70. Itaque non penitus poteſt obliuiſci ouium. Imo ex opilion: fit ouis, hoc loco prælecto, & quidem errans ouicula. Memor haud dubie illius ænigmatis de ouibus, quod ex mandato Dei propoſuit ipſi Nathan, 2. Sam. 12. v. 1. & ſeqq.

Non autem debent hæc nobis videri viliora, quam vt auditores illis fatigari debeant. Nam ipſe filius Dei hac ſimilitudine de paſtore & ouibus fuit delectatus, Joann. 10. Imo etiam de oue errante, de qua Dauid hoc loco, mentionem facit, Luc. 15. v. 4. & iſta ſane ſimilitudo multum doctrinæ & conſolationis continet, vt patebit, ſi accuratius hæc verba conſiderauerimus.

Dicemus itaque hoc loco, breuiter & ſimpliciter, 1. de oue errante. & 2. deinde etiam de eadem quaerita, & 3. inuenta, ſive reuerſa ad ouile.

I. PARS.

1. Comparat Pſaltes ſeipſum ouiculæ. Gratum alioquin animalculum, & vile.

2. At oue erranti ſe comparat. Eſt enim ouis natura animal ſtupidum, & facile aberrat via, ſi non habeat ductorem, quem ſequatur.

3. Nec erranti tantum, ſed perditæ. Etenim quanto longius progreditur, tanto facilius incidit in periculum, & fit præda luporum & cæterarum beſtiarum.

Neque

Neque vero sine causa oui erranti & pereunti se comparat. Errauerat enim, & recesserat ab ouili Dei, excutiens Spiritum sanctum, & committens adulterium cum homicidio. Crassus sane hic error. At securus postea perisset plane, si non Dominus ipsum quaesiuisset. Videatur histona 2. Sam. 1. v. 12.

Loc vs. Quod Dauid de se hic dicit, illud Esa 53. v. 6. de omnibus hominibus asseritur. Omnes sicut oves errauimus. Idem 1. Pet. 2. v. 25 Non est qui faciat bonum. Psal. 11. Rom. 3. v. 10. & 23 Justus cadit septies. Prou. 24. v. 16. Nec quisquam dicere potest, mundum est cor meum; Prouerb. 20. v. 9. Exrat parabola de oue perditā. Luc. 15. ad omnes peccatores pertinens. Et si relinqueret nos pastor animarum, 1. Pet. 2. v. 25 iam periissemus. Dauid, Petrus, Thomas, Manasses, Paulus. Hi certe longe aberrabant à via veritatis.

Et insidiatur miseris ouiculis leo ille rugiens, quaerens quem deuoret, 1. Pet. 5. v. 8.

Agnosendum hoc & fatendum omnino, quam simus miseri.

II. Pars.

Orat autem Dauid, quaere seruum tuum. Agnoscit enim, nisi ducatur & regatur à bono illo pastore, Psal. 23. actum fore de ipso. Si non Dominus per Nathanam in viam reduxisset, periisset, securus in peccatis suis.

Loc vs. Idem officium praestat omnibus poenitentibus peccatoribus, pastor ille bonus, Joan 10. v. 12. animarum nostrarum, 1. Pet. 2. v. 25 qui nos humeris suis portat ad ouile, Luc. 15. v. 5. Nunquam enim ipsi veniremus ad Christum, Joan. 6. v. 44. Non sumus idonei cogitare aliquid, 2. Cor. 3. v. 5.

Sicut autem pastor voce sua, & sibilo atque multis vociferationibus insequitur ouem & reuocat errantem: ita Deus voce verbi sui nos insequitur & inclamat. Hinc illae voces: Conuertimini, Jer. 3. v. 12. & Jer. 3. iuxta Latin. v. 1.

P 5

Forni

Fornicata es cum multis, sed reuertere. Ezech. 18. vers. 30.
Agite pœnitentiam. Et 33. v. 11 Joel. 2. v. 12. Zach. 1. v. 3.
Quare moriemini? Ezech. 18.

Causa quare tanta sollicitudine quærat, hæc à Christo
affertur: quia gaudium sic in cœlo super peccatore pœni-
tente. Luc. 15. v. 7. & 10. Non enim delectatur morte pec-
catoris, Ezech. 33. Sicut pater miseretur, Psal. 103. v. 13. &
sicut blandissima mater, Esa. 49. v. 15.

Magna hæc consolatio, Psal. 23. v. 4. Virga tua & bacu-
lus ipsa me consolata sunt Allegabit saucium, Ezech. 34.
v. 16. Contra Nouatianos, negantes lapsis veniam. Hanc
hæresin Satan & caro nostra nobis dicere solent.

At his similitudinibus & exemplis atque dictis resis-
tendum istis tentationibus.

Orandum autem semper humiliter & ardentem, vt qua-
rat nos: ne patiatum induci in tentationem, ne Diabolus
lupus infestus nos occidat.

III. Pars.

Quæsitus David (ouis errans) promittit se sequen-
tum vocem pastoris, & porro ab ouili non discessurum.
Hoc est, quod promittit, se non velle obliuisci mandato-
rum Dei. idem vult, dum se seruum vocat: scilicet, quod
velit facere voluntatem Domini, Luc. 12. v. 36.

Locvs. Id ipsum requirit à nobis Christus, vt scilicet
audiamus & cognoscamus vocem querentis, & ipsum se-
quamur, Joan. 10. v. 5. & 16. & 14. Non reluctemur Spiri-
tui sancto, Actor. 7. v. 51. qui nos vult ducere in omnem
veritatem Actor. 6. v. 13. Non retrorsum abeamus sicut
illi, qui terga dicuntur obuertere Deo suo, Jerem. 2. vers.
27. & 32. vers. 33. Quod faciunt impœnitentes, nolentes
sequi ductum & regimen illud pastoris. Illi contristant
Deum,

At cogitemus nos esse oves pascuæ, Psal. 79. 95 & 100.
David mox agnoscit & fatetur peccatum, & petit illud
emitti, 2. Sam. 12. v. 13. & 2. Sam. 24. v. 10. Petrus, Thomas,
idem

idem faciunt. Serius hoc Manasses & Iatro. Tamen patiantur se reduci.

At Judæi recalcitrantes sunt. Act. 13. v. 46.

Hoc serio cogitandum sapius: & probe notandum, omnia supra dicta pertinere ad oves: non ad cæteros, qui sunt *canes*. In *Psalm.*, Tit. 1. v. 12. Quales illi qui vocantur canes, 2. Pet. 2. v. 22. & *Psalm.* 22. v. 17. aut *Esai.* 56. v. 10. Hi enim non in ouili, sed foris sunt, Apoc. 2. vers. 15. Alii serpentes, *Psalm.* 140. v. 4. *Esai.* 59. v. 5. vocantur. Alii hirci, *Matth.* 25. v. 33. *Zach.* 10. v. 3. Et cætera. Nos simus oves si volumus quæri & seruari: hoc est, patientes, *Esai.* 35. v. 7. & 2. vtilis, ad omne opus bonum, 2. Tim. 3. v. 17. Sicut omnia in ouibus sunt vtilia.

F I N I S.

THEMA LXXI.

Psalm. integer 121.

Leuau i oculos meos in montes, &c.

DISPOSITIO

Consolatorius est hic *Psalmus*, in quo Spiritus sanctus docet, quid pii à Deo expectare possint & debeant. Et qui ex fide hunc *Psalmum* orauerit, experietur etiam fructum huius orationis, auxilium diuinum, & in tribulatione, & in omni uocationis genere.

Dux autem præcipuæ sunt partes *Psalmi*. In 1. ostendit *Psalmes*, quid faciat quotidie, quando auxilio opus habeat: & vnde auxilium speret.

In altera ostendit, quomodo Dei auxilium sit paratum & comparatum. De his dicemus.

I. Pars.

Primum ostendit *Psalmes*, quæ sint quotidiana ipsius exercitia. *Leuau i oculos meos ad montes*, vnde veniat auxilium mihi. Intelligit se oculis leuatis sursum, orare.

Per montes vel intelligit montem illum, in quo tabernacu-

nacu-